

(1272) 1273, febrer, 17

*Procés de la causa jutjada per Pere de Banyoles, oficial del bisbe de Girona, entre l'abadessa de Sant Daniel, Berenguera, i Arnau de Meixella, clergue, sobre el dret d'aquest darrer a prendre's una intestia i eixorquia a Setcases.*

ASD núm. 219, perg. orig., 635 x 240 mm. Còpia: Llibre de capbrevacions de Setcases, núm. 1, ff. 1-4.

Questione mota inter damnam Berengariam, Dei gratia monasterii Sancti Danielis abbatissam agentem ex una parte, et Arnallum de Mexela clericum se ex altera defendantem sub examine Petri de Balneolis presbiteri de capitulo et officialis domini episcopi Gerundensis, prefata domina abbatissa petitionem suam proposuit in iure uidelicet in hunc modum. Ponit Berengaria, Dei gratia abbatissa Sancti Danielis, nomine sui et ipsius monasterii conquerendo contra Arnallum de Mexela clericum dicens quod quidam filius Iohannis Ariol de Septemcasis, homo ipsius abbatisse et monasterii Sancti Danielis, decessisset exorches siue intestatus, de cuius bonis mobilibus quinque oues racione tertii, secundum usum et obseruanciam huius terre et ius municipale spectabant ad ipsam abbatissam et eius monasterium, iure dominii, uel quasi, quas oues dictus Arnallus de Mexela suo ausu temerario habuit et accepit. Unde petit dictum Arnallum de Mexela in his quinque ouibus sibi reddendis ac restituendis condempnari et sibi nomine dicti monasterii adiudicari. Item ponit nomine sui et dicti monasterii contra eundem Arnallum dicens quod ipse Arnallus suo ausu temerario in iniuriam et contumeliam ac contemptum ipsius abbatisse et monasterii antedicti accepit et habuit dictas oues, quam iniuriam et contumeliam et contemptum nollet dicta abbatissa sibi et monasterio fore factam ab ipso Arnallo de Mexela pro eccl. solidis, unde petit ipsum Arnallum in eccl. solidis condempnari et sibi et predicto monasterio adiudicari. Datum saluo iure addendi, minuendi et cetera.

Super qua petizione fuit litem contestatus Petrus Nouelli, commorans Gerunde, institutus procurator ab Arnallo de Mexela predicto, negando uidelicet omnia posita in eadem, et fuit prestitum iuramentum calumpnie a partibus principalibus antedictis. Quo prestito ab eisdem, prefata domina abbatissa posuit peticionem suam religione prestiti iuramenti et dictus Arnallus de Mexela super eadem particulariter interrogatus dixit se credere predictam dominam fore abbatissam Sancti Danielis et quod ipse Arnallus habuit de bonis predicti filii dicti Iohannis Ariol racione tertii nouem oues, sed negauit quod ipse filius dicti Iohannis esset homo ipsius abbatisse et monasterii Sancti Danielis eodem Arnallo uiuente, cum ipse Iohannes et filius suus, una cum aliis redditibus de Septemcasis sint obligata eidem Arnallo per donacionem domine Iusiane quondam, et negauit etiam idem Arnallus omnia alia posita in petizione seu peticionibus antedictis et dicta domina abbatissa negauit donacionem predictam et eadem domina abbatissa posuit in iure posiciones sequentes.

Ponit abbatissa Sancti Danielis quod domina Iusiana condam dimisit et dedit in suo testamento ecclesie et monasterio Sancti Danielis honorem quem ipsa habebat apud Septemcasis. & Non credit, cum iam dedisset eidem Arnallo, quod alia pars negat. Item

ponit quod dedit in suo testamento eidem ecclesie et monasterio dictum honorem cum mansis, bornis, hominibus et feminis eiusdem honoris, cum censibus, agrariis, exaccionibus et prouentibus uniuersis et cum omnium rerum dominiis. & Respondit ut supra, et alia pars idem. Item ponit quod dicta domina dimisit eidem ecclesie et monasterio in suo testamento predicta sub hac forma, scilicet quod abbatissa dicti loci que pro tempore fuerit, donet uni presbitero quem ipsa instituit in eadem ecclesia omni tempore tantum de cibo et potu quantum unus ex aliis presbiteris ibidem institutis accipiunt in eodem monasterio et pro indumentis annuatim .vm. masmutinas. & Non credit ut ponitur. Item ponit quod ipsa abbatissa nomine suo et dicti monasterii habuit et accepit possessionem dicti honoris et hominum et feminarum existentium in eodem, recipiendo inde foriscapia et intestias et exorchias, scilicet medietatem ipsorum prouentuum. & Non credit ut ponitur. Item ponit quod quidam homo uocatus Iohannes Ariol est de Septemcasis. & Credit. Item ponit quod est eiusdem honoris, et erat homo proprius dicte domine Iusiane. & Credit. Item ponit quod a duobis annis citra decessit quidam filius legitimus dicti Iohannis qui erat homo proprius ipsius abbatisse et eiusdem monasterii. & Non credit ut ponitur. Item ponit quod ille filius dicti Iohannis erat lexius. & Credit. Item ponit quod decessit sine liberis legitimis et de legitimo matrimonio natis. & Credit, sed habebat filios naturales, quod alia pars non credit. Item ponit quod post mortem ipsius filii dicti Iohannis, Arnallus de Mexela clericus habuit et accepit ratione tertii .x. oves de bonis mobilibus dicti filii predicti Iohannis. & Credit de nouem. Item ponit quod dictus Arnallus de Mexela cessauit dare dictas oves et aliquam de predictis dicte abbatisse. & Credit. Quibus posicionibus predictus Arnallus de Mexela respondit prout in fine cuiuslibet ipsarum superius continetur et idem Arnallus optulit exceptiones sequentes.

Poni t Arnallus de Mexela excipiendo quod honor de Septemcasis quem abbatissa Sancti Danielis licet ad se pertinere iure dominii uel quasi, de quo honore dicta abbatissa licet filium Iohannis Ariol decessisse sine liberis hominem dicti honoris fuit quondam domine Iusiane uxoris Petri de Ceruaria quondam. & Credit. Item ponit quod dicta domina eo tempore quo dictus honor erat suus et etiam dictus homo qui decessit, concessit et donauit et assignauit titulo perfecte donacionis inter uiuos dicto Arnallo in tota uita sua uictum et uestitum accipendum et habendum sibi sua propria auctoritate uel per officium curie uel alio quocumque modo uellet cunctis diebus uite sue generaliter siue uniuersaliter super omnibus fructibus et expletis, redditibus et prouentibus et iuribus quecumque ipsa acciperet et haberet et accipere et habere deberet quocumque iure uel modo in tota parrochia Sancti Michaelis de Septemcasis. & Dubitat. Item ponit quod dictus homo qui decessit fuit de dicto honore et erat eo tempore quo dicta domina fecit dictum donum et erat homo proprius dicte domine. & Credit quod fuit de dicto honore, super aliis dubitat. Item poni t quod dictus Arnallus ratione dicti doni fuit et est in possessione uel quasi percipiendi prouentus, redditus et iura et exitus qui ex tunc de predicto honore, cum in predictis debeat habere uictum et uestitum, et pro predictis recipere annuatim de dictis redditibus, prouentibus et iuribus saltem .cccc. solidos. & Non credit ut ponitur. Item ponit quod ea ratione dictus Arnallus tamquam possessor bone fidei recepit oves de quibus agitur, que sunt dicti hominis qui decessit sine liberis.

& Non credit ut posita sunt. Quibus posicionibus predicta domina abbatissa respondit ut in fine cuiuslibet ipsarum noscitur superius contineri. Posuit etiam pars utraque quamplures alias posiciones quibus nitebatur intencionem suam fundare, quibus fuit ex aduerso responsum plures concedendo et alias denegando, et dicta abbatissa instituit procuratores suos apud acta Berengarium de Cistella et Ferrarium de Flociano clericum, utrumque uidelicet in solidum, sic quod non esset melior condicio negotium primitus occupantis. Cumque fuisset utriusque parti iniuncta probacio in negatis, et utraque pars quamplures testes produxisset quorum deposiciones publicate fuerunt, translatum concessum partibus de eisdem et pars dicte domine abbatisse ad intencionem suam fundandam exhibuisset in iure translatum authenticum testamenti prefate domine Iusiane et quamplurima instrumenta, et dictus Arnallus exhibuisset similiter ad fundandam intencionem suam translatum authenticum donacionis siue instrumentum donacionis ei facte ab eadem domina Iusiana et quamplura alia instrumenta, demum fuit hinc inde conclusum in causa et renunciatum de facto a partibus que etiam petierunt ferri sententiam in premissis.

Unde ego Petrus de Balneolis presbiter de capitulo et officialis domini episcopi Gerundensis, uisis et auditis rationibus et allegacionibus utriusque partis et dictis productorum testimoniis ac instrumentis in iure exhibitis, processuque negotii examinatis cum sollicitudine diligent, facta renunciacione hinc inde, habito prudentum consilio et . seruato, prefatum Arnallum de Mexella clericum sententialiter absoluo a petitione seu petitionibus per dictam dominam abbatisam propositis contra ipsum et eidem domine abbatisse absenti et Ferraria de Flociano eius procuratori presenti impono silentium super ea.

Lata fuit hec sententia .xm. kalendas marci anno Incarnationis Christi millesimo .ccLxx. secundo, presentibus Ferraria de Flociano, procuratore domine abbatisse et Arnallo de Mexela predictis, ac testibus uidelicet Petro de Ferredonibus, clero et Berengario Frenerii et Arnallo de Podiouentoso, ciuibus Gerunde ac pluribus aliis.

Ego Petrus de Balneolis, presbiter de capitulo ecclesie Gerundensis et officialis predictus, subscribo.

Ego Raimundus Ollarii (s. man.) de Palaciolo, scriptor iuratus curie domini episcopi Gerundensis, hoc scripsi, die annoque prefixis.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 457-461